

capita illorum librorum, quæ in præsententi non oportet referre, sed tantum responsonem Augustini ad id quod pertinet ad scientiam mediam.

XIII. Igitur circa scientiam mediam duo Augustinus facit. Primo, ostendit non præsciri illa futura quæ futura non sunt (sic conditionata appellantur) nisi decreto Dei præcedente, et ipso decreto. Secundo, excludit illam absurditatem Semipelagianorum, qua dicebant homines, etiam parvulos ob merita, vel demerita, quæ futura essent si viverent, a Deo judicari eisque gratiam aut dari, aut negari.

XIV. Ne autem moveat aliquem prædestinationis nomen, quo Augustinus utitur, sciat non sumi ab Augustino prædestinationem in ea stricta significatione qua modo apud scholasticos sumitur pro solo decreto dandi, et transmittendi in vitam æternam, sed in significatione latiori pro quocumque decreto præordinante et prædefiniente, seu statuente res quas facere intendit, aut disponit etiam sub conditione. Id evidenter constat ex auctore libri, cui titulus est de prædestinatione Dei apud Augustinum et habetur post librum de bono perseverantiæ, a Lovaniensibus autem in appendicem rejectus est, ibi enim admittit prædestinationem sub conditione, et quamdam prædestinationem dicit esse alligationis, seu necessitatis, quamdam conditionis: « Prædestinavit, inquit Augustinus, ut cælum semper volveretur, terra immobilis circumvolvendi cælo loco centri haberetur, sol et luna nocti dieique præessent, etc. Hæ prædestinationes, potentiæ sunt et alligationis. Unumquodque enim eorum, quæ prædiximus sic alligatum est suo operi per prædestinationem Dei, ut ab eo dimoveri non possit. Creavit Deus hominem, et prædestinavit, ut si

obediens esset, ac a gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret, sin autem inobediens esset, mortem subiret. Hæc prædestinatio, conditionis est et justitiæ. Non enim Deus ante casum hominis sic eum per potentiam alligationis prædestinavit mori, ut necesse esset eum mori, sed sub ea conditione si peccaret. » Et infra: « Mortis itaque prædestinatio sub conditione fixa fuit in Deo propter casum humani præscientiam. » Admittit ergo Augustinus prædestinationem seu decretum etiam de objecto sub conditione.

XV. Hoc supposito agit Augustinus contra illam scientiam mediam quam ante omne decretum Dei ponebant Semipelagiani in libro de prædestinatione sanctorum a capite IX, incipiens respondere Semipelagianis, qui ex ipso Augustino eam volebant probare, quia dixerat in libro de sex quæstionibus paganorum (est epistola XLVI tomi II,) tunc voluisse apparere Christum, quando sciebat, et ubi sciebat qui in eum fuerant credituri. Et quod priõribus sæculis tam plenum infidelibus orbem noverat, ut eis apparere, vel prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat. Dicit autem Augustinus quod id intelligendum est sine præiudicio latentis consilii Dei, et supposita aliqua electione seu decreto Dei, licet id non expresserit in eo libro, cum respondebat illis quæstionibus paganorum. Ergo manifeste abjicit Augustinus scientiam mediam, quæ futura illa attingit ante decretum Dei, nec solum rejicit illam scientiam mediam pro ea parte qua constituebatur a Semipelagianis, ut præbens Deo motivum, et initium prædestinationis et gratiæ nobis dandæ, sed prout absolute constituebatur in Deo, quia S. Augustinus in eo capite nono respondet pro se

Semipelagianis, et dicit quomodo intelligendus est locus ille libri de sex quæstionibus quem adducebant Semipelagiani, ut probarent juxta ipsius Augustini doctrinam se ponere illam scientiam mediam de futuris ante decretum, sed constat quod in illo loco Augustinus non posuerat scientiam illorum futurorum ratione prædestinationis et gratiæ, nec tamquam motivum et initium nostræ justificationis ex nobis, sed absolute et simpliciter posuerat illam scientiam conditionatorum, scilicet tunc apparuisse Christum quando sciebat qui in eum fuerant credituri, et dicit hoc esse intelligendum supposito aliquo decreto Dei, ergo non solum damnat illam scientiam, quatenus ponebatur ut ratio et motivum prædestinationis ex nobis, sed etiam absolute et secundum se, quatenus ponitur antecedenter ad decretum Dei, et videbatur poni ab ipso Augustino in illo libro de sex quæstionibus paganorum.

XVI. Quod ergo sic Augustinus explicaverit se intellexisse illam scientiam conditionatam non ut est scientia media, id est, ante omne decretum Dei, sed post illud, probatur. Nam postquam Augustinus dicto capite retulit verba sua quæ posuerat in libro de sex quæstionibus paganorum subdit pro eorum intelligentia sic: « Cernitisne me sine præiudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi voluisse dicere quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui et quando, et quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædes-

tinaverit Deus quærere ac disserere, tunc necessarium non putavi. » Ecce fatetur Augustinus præcisse quidem Christum illa futura conditionata, nempe qui crederent, vel non crederent si tali tempore et loco sibi Christus prædicaretur, sed quod hoc ipsum non tantum præscierit Deus, sed etiam prædestinaverit, hoc est decreverit, explicat Augustinus licet in illo loco priori non explicaverit, ac proinde scientiam illam futuri quæ tantum est scientia, et non prædestinatio seu decretum, prorsus abjecit. Unde subdit: « Proinde quod dixi, tunc voluisse apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam quando sciebat, et ubi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. »

XVII. Item in capite nono sequenti: « Prædefinitione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus, præscire autem potest etiam quæ ipse non facit, sicut sunt quæcumque peccata. » Et infra: « Quando promisit Deus Abrahæ fidem gentium non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia et si faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. » Et infra: « An forte bona opera gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, ut hoc promitterent quod ipse facit, non autem promisit fidem gentium quam sibi homines faciunt, sed ut promitteret quod ipse facit, illam præscivit homines esse facturos. Non sic loquitur Apostolus. »

XVIII. Ex hoc autem fit argu-

mentum in hunc modum destruens scientiam mediam : Quando Deus promittit fidem, aut aliquod opus bonum, promittit ipsum consensum liberum, sine quo neque est fides, neque opus bonum, ergo vel promittit consensum quem præscivit hominem præstiturum si vocetur præscientia antecedente decretum et prædestinationem suam, vel promittit consensum de prædestinatione et decreto suo descendente. Si hoc secundum, est nostra sententia, quia tunc decretum et prædestinatio ut efficax et infallibilis, non supponit præscientiam futuri consensus, sed causat, et consequenter antecedit, et sic ab intrinseco et ex sua natura efficax est, et gratia seu concursus ab ea descendens : unde vacat scientia media, quæ ad hoc ponitur ut gratia ex sua natura non efficax, ex Dei præscientia infallibilitatem in effectu suo habeat. Si primum, contradicitur Augustino dicenti quod Deus ut promittat fidem non præscivit illam homines esse facturos, nec fidem promittit de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione. Ergo ne contradicatur Augustino oportet scientiæ mediæ contradicere, quæ præscit et promittere potest consensum non de sua prædestinatione, sed de nostræ voluntatis potestate prævisum.

XIX. Ad hæc, Augustinus in eodem libro capit. xviii et xix, ponit differentia inter Pelagianos et Semipelagianos, quod Pelagiani dicebant quod præsciebat Deus qui futuri essent sancti et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, et ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Et post impugnatum hoc assertum toto capite xviii et initio xix, subdit de Semipelagianis : « Nos autem dicimus, inquit, nostrum Deum non præscisse nisi fidem, qua credere incipimus, et

ideo nos elegisse ante mundi constitutionem ac prædestinasse, ut jam sancti et immaculati, gratia atque opere ipsius essemus. Sed audiant et ipsi in hoc testimonio, ubi dicitur sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur. Ipse ergo ut credere incipiamus operatur, qui universa operatur. » Ex hac auctoritate Apostoli, qui prædestinationem Dei extendit ad universa quæ ipse operatur, revincit Augustinus Semipelagianos qui supponebant præscientiam ante prædestinationem Dei non honorum operum, ut Pelagiani dicebant, sed saltem fidei nostræ, quam non solum præscire Deum, sed etiam prædestinare dicit Augustinus : « Quia prædestinati sumus secundum propositum ejus qui universa operatur. » Nunc autem auctores, contra quos pugnamus, dicunt, Deum non sanctitatem, non fidem præscire quasi a nobis, ut ab eis moveatur ad prædestinandum nos gratia sua, sed præscire ante decretum et prædestinationem suam consensum quem nos libere adhibaturi sumus vocationi divinæ de se indifferenti, et non ex sua natura efficaci. Sed audiant et ipsi, quomodo etiam contra hoc militent rationes Augustini quibus Semipelagianos expugnat, aut enervari omnem earum vim, si contra hoc assertum non militent. Nam ex eo impugnat Augustinus Semipelagianos, quod Deus non solum præscit fidem, sed etiam prædestinat, quia universa operatur, sed fides includit assensum liberum, ergo assensum liberum non præscit, sed prædestinat, nec antequam prædestinet, præscit : ergo ruit scientia media quæ scit consensum ante liberum decretum prædestinans. Item ex eo quod secundum prædestinationem suam Deus universa operatur, infert Augustinus quod fidem prædestinat, et

non solum præscit, quia est unum ex his quæ Deus operatur, sed etiam consensus liber adhibendus vocationi indifferenti est unum ex his quæ Deus operatur qui universa operatur, ergo illum non solum præscit Deus, sed etiam prædestinat ut præsciat, aut consequentia Augustini enervatur, dicerent enim Semipelagiani quod sicut consensum nostrum liberum eximimus a prædestinatione Dei, et ponimus in præscientia ante prædestinationem, ita et ipsi fidem, quæ in quodam assensu libero consistit. Item probat Augustinus fidem non præsciri ante decretum, seu prædestinationem Dei ex illis verbis Joann. xv : *Non vos me elegistis, sed ego elegeri vos*, non enim quia credidimus, sed ut credamus elegit nos Deus, ne priores eum elegisse dicamus, falsumque sit quod absit, non vos me elegistis, sed ego elegeri vos. Ita dicit ibidem capite xix citato. Sed hoc idem argumentum currit, si Deus præscit consensum nostrum futurum si talis vocationi ponatur, non autem prædestinat illum, et pro statu conditionato determinat, nam si est bona consequentia apud Augustinum, Deus præscit ante suum decretum fidem credentium, ergo non eligit ut credant, sed ipsi credendo eligunt illum : Similiter erit bona consequentia, Deus præscit ante decretum suum consensum liberum, quem daturus ego sum vocationi qua vocat ad credendum, ergo Deus non eligit consensum liberum meum, nec eligit me ut consentiam fidei, sed ego prior eligo eum consensu meo. Nec enim fides præsupposita ut prævisa per scientiam mediam aliter eligit Deum nisi consentiendo libere illi, ergo si apud Augustinum fides eligit Deum si præscitur ante decretum, similiter et consensus liber eligit Deum si præscitur ante decretum, præsertim quia ipsum credere

fidei, consensus quidam est. Omnes ergo consequentiæ Augustini infirmantur, sic hæc scientia media circa consensum prævisum ponitur. Ac denique, quia ille consensus prævidetur futurus, ut per illum vocationi Dei et auxilium quod est indifferens reddatur determinatum et efficax, non determinante Dei potestate, sed voluntate acceptante, ergo prævidet Deus nullum donum suum et auxilium ex natura sua, et in quantum donum Dei est, et a Deo procedit, tale esse quod non possit voluntate nostra amitti et retineri, alioquin si aliquod donum seu auxilium Dei est, quod nostra voluntate amitti, et frustrari non possit, ergo ex natura sua, et independenter a nostra voluntate et consensu, vel dissensu præviso infrustrabile et infallibile est, atque adeo scientia media nostri futuri consensus non exigitur ut infallibile sit, et efficax auxilium. Si autem hæc propositio conceditur, quod quidquid donatum nobis sit a Deo, potest voluntate propria, aut retineri, aut amitti, id est, frustrari vel efficax reddi, manifeste dicitur id quod Semipelagiani dicebant, et contra quod Augustinus docebat, ut patet in illis verbis Hilarii epistola ad Augustinum : « Cæterum quidquid libet donatum sit prædestinatis id posse et amittere et retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseverantiam accepisse ut nisi perseverantes esse non possint. » Hoc autem dicebat Augustinus ut ibidem paulo ante retulerat Hilarius, et constat ex libro de correptione et gratia, capite xii. Ergo falsum est quod ex nostro consensu futuro pendeat infallibilitas gratiæ, et quod tale donum Dei, ut est a Deo nostra voluntate possit amitti et retineri, si vera est Augustini doctrina.

XX. Denique, rursus Augustinus

eamdem exagitans quæstionem in libro de bono perseverantiæ, quia Semipelagiani dicebant non ita nobis perseverantiam dari, quin possit nostra voluntate amitti, sed illos Deum prædestinare quos sub gratiæ adjutorio in qua voluntate et actione futuros esse præscierit, et quorum finem præviderit, ut Prosper dicit in fine suæ epistolæ. Contra hoc ergo S. Augustinus agens in primis capite IX illius libri ostendit illud dictum Christi Domini Matth. XI, quod ita ab oppositis auctoribus magnificatur pro scientia media, in eo prædestinationis mysterium maxime a Domino commendari cum dixit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*: nam ut ibi inquit Augustinus: « In his verbis Dominus Jesus altius nobis mysterium suæ prædestinationis ostendit. Si enim quæretur a nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint qui ea non fuerant credituri, et apud eos facta non sint qui ea non fuerant credituri, et apud eos facta non sint, qui crederent si viderent, quid respondebimus? Numquid dicturi sumus quod in libro alio dixi, ubi sex quibusdam quæstionibus paganorum, sine præiudicio tamen aliarum causarum, quas prudens possum investigare, responde? » Et referens quomodo in illo libro respondeat illi quæstioni, cur Christus post tam longa tempora venerit, scilicet quoniam præsciebat quod nec verbis, nec miraculis suis credituri essent, si ante veniret subdit: « Hoc certe de Tyro et Sidone non possumus dicere, et in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc divina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio, tum ista respondere me dixi. Facile quippe est ut infidelitatem accusemus

Judæorum de libera voluntate venientem, factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt. Sed numquid possumus dicere, Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse? Ipse Dominus attestatur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si eis facta essent divinarum illa signa virtutum. » Postea autem capite XIV iterum verba faciens de Tyriis et Sidoniis, inquit: « Quod relictum sunt in massa perditionis Tyrii et Sidonii, qui etiam credere potuerunt si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent eis non est datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, et tamen si Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent. » Quasi dicat: Multi habent secundum ordinem interiorum, vel naturalium causarum dispositionem ingenii docilem et convenientem ad finem si eis proponatur, qui tamen secundum occultiolem et altiolem ordinem voluntatis divinæ de facto non credent, nec vult Deus adhibere eis illa media per quæ credent. Et tamen etiam illud munus intelligentiæ, et illam dispositionem ad credendum si eis proponatur fides, et illa futuritio credendi si eis prædicetur, totum est a Deo, et ex ejus liberalitate et dono et decreto, nec enim munus et donum sine decreto est, quod dicitur datum naturaliter quia a Deo imprimitur vel inspiratur, non studio, vel prædicatione acquiritur, nec omnibus datur sed quibusdam,

quia non omnibus datur docilitas ipsa, et dispositio ad credendum; et hoc totum a Deo non solum prævidetur, sed causatur et datur, tum quia illud ipsum vocat Augustinus munus intelligentiæ, id est, donum Dei; tum quia subdit concludens hoc de Tyriis, quos dicit non fuisse sic excæcatos et induratos sicut Judæos: « Audiunt hæc, et faciunt, quibus datum est, non autem audiant, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. » Totum ergo reducit Augustinus ad divinam voluntatem, sive donantem, sive negantem, etiam in illis qui audiant, et sine ipsa nihil præscitum est.

XXI. Et ita hoc ipsum firmat Augustinus in eodem libro, generali regula, quod nihil quod sit donum Dei, seu ipso donante faciendum, aut futurum, præscitur a Deo nisi etiam prædestinatum sit, quo dicto solvit propositam sibi a Prospero quæstionem, an ea quæ sunt præscita sint etiam prædestinata, et decreta, ita ut præscientia sit innixa proposito et decreto, an e contra decretum præscientiæ innitatur. Respondet enim Augustinus generaliter quod nihil præscitur a Deo quod non etiam prædestinetur loquendo de bonis operibus, non de peccatis. Qua generali responsione omnem subvertit scientiam mediam, hæc enim aliquid dicit præscitum quod non est prædefinitum et decretatum, ut præsciatur in eo statu. Contradictorie autem opponuntur, nihil bonum præscitur a Deo, quod non prædestinetur, aliquid bonum præscitur quod non prædestinatur sub eo statu conditionato in quo præscitur. Et primum dixit Augustinus secundum auctores et defensores scientiæ mediæ. Dixisse autem Augustinum constat, nam in præfato libro de bono perseverantiæ, capite XVII,

agens de illis bonis operibus, quæ Semipelagiani fatebantur esse ex gratia Dei, et licet essent ex gratia et prædestinatione Dei, non tamen exhortatio ad ipsa per definitionem prædestinationis impeditur, ergo neque similiter exhortatio ad fidei inchoationem, neque ad ultimam perseverantiam. Subdit ibi Augustinus hanc consequentiam: « An forte nec ipsa dicuntur prædestinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit, quod si et dantur, et ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit. » Ex quo fit argumentum juxta Augustini consequentiam quod videtur convincens: Quidquid Deus se daturum præscivit, etiam prædestinavit, id est, prius decrevit, si autem non prædestinavit nec datur a Deo, nec se daturum esse scivit, sed ea quæ per scientiam mediam Deus cognoscit sunt danda a Deo si non sint peccata, aut permittenda si sint peccata, ergo si ea cognoscit sub conditione, cognoscit se ea daturum posita illa conditione, ergo et prædestinat decreto suo, aut illa nescit. Major est Augustini. Minor constat apud omnes, quia nihil est creatum quod a Deo non derivetur ut a causa, ergo datur a Deo, idem enim est a Deo dari et causari. Nec dici potest Augustinus solum loqui de futuris absolutis, quæ Deus non præscivit se daturum si non prædestinavit, non autem loquitur de conditionatis. Nam contra est, quia ut infra dicemus Augustinus universaliter, et absolute loquitur, et sine distinctione de omnibus quæ præsciuntur a Deo, et specialiter contra illos Semipelagianos, qui loquebantur de præscientia eorum, qui operaturi, vel perseveraturi sunt sub conditione si viverent, et circa hæc futura conditionata consulebatur Augustinus a Prospero, ut ex ejus ver-

bis in epistola vidimus, ergo extrarem loqueretur Augustinus, et non impugnaret sensum Semipelagianorum, nec responderet interrogationi Prosperi, si solum loqueretur de futuris absolutis. Et præsertim, quia si illa bona opera, de quibus ibi loquitur Augustinus et quæ Semipelagiani fatebantur esse Dei dona, Deus non potest scire in statu absoluti futuri, nisi prædestinando illa, seu decreto suo prædefinendo, ergo non præsciuntur a Deo sub statu absoluto, nisi in vi prædestinationis, et supposita prædestinatione, ergo vacat scientia media, quia ad hoc ponitur a suis defensoribus, ut independenter a decreto prædefiniente Deus videat futurum consensum sub conditione, et eo viso, non per prædefinitionem videat illum futurum absolute, sed per hoc solum quod Augustinus ponit quod si præsciuntur et dantur a Deo, prædestinata sunt, tollit scientiam mediam, quæ ad hoc ponitur, ut non prædestinatione res sciatur a Deo seu decreto prædefiniente, sed sola conditionis purificatione, si quidem jam ipsa futuritio supponebatur prævisa sine ulla prædefinitione, ergo etiam sine prædefiniente decreto statu absoluto videntur; hoc enim tenentur defensores scientiæ mediæ consequenter admittere, quod si non eget Deus decreto prædefiniente ut videat futura in statu conditionato, neque ut videat in absoluto, si quidem sola purificatione conditionis illa futura in se ipsis sunt determinatæ veritatis in statu absoluto. Ergo hoc ipso quod Augustinus negat nescire Deum quod non prædestinat, et si præscit etiam prædestinat, non solum futura in statu absoluto, sed etiam in conditionato complectitur. Unde in fine capite illius xvii, ponit Augustinus generalem regulam: « Quod hæc dona Dei, si nulla est prædestinatio

quam defendimus, non præsciuntur a Deo. » Ergo si in statu conditionato nulla est prædestinatio nec decretum Dei præcedens, non sciuntur a Deo. Et in capite xviii sequenti: « Prædestinasse, inquit, est hoc præscisse quod fuerit ipse factus. Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, et agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? » Ecce generalem regulam Augustini cui nos conformamur non solum pro statu absoluto futuro, sed etiam pro conditionato, universaliter enim loquitur Augustinus et contra Semipelagianos, qui de præscientia Dei pro statu conditionato loquebantur. Inquit autem Augustinus quod præscisse Deum quid ipse sit facturus est prædestinasse, et quod ubi invenitur nomen scientiæ divinæ circa vocationem electorum, debet intelligi prædestinatio. Ergo quando dicitur Deum præscire quid aliqua voluntas factura sit circa talem, vel talem vocationem si daretur, illa præscientia debet intelligi prædestinatio, aut non sequimur Augustinum.

RESPONSIO AD HÆC TESTIMONIA, ET
REFUTATIO.

XXII. Triplex ad mentem Augustini potest excogitari responsio. Prima, quod loquitur Augustinus in multis ex hic locis de futuris absolutis non conditionatis, quando ad illa requirit prædestinationem Dei. Secundo, non loquitur de præscientia media quoad substantiam, sed secundum modum quo ponebatur a Semipelagianis, sic enim abutebantur scientia media, dicentes Deum uti bono usu nostræ libertatis præviso tamquam motivo et ratione dandi nobis gra-

tiam, et ex malo usu præviso eam denegare, aut etiam quod a se ipsis haberent fidem, non Deo donante acciperent. Tertia, quod si quando loquitur de ipsa scientia media secundum se, requirit ad illam Dei prædestinationem seu decretum conditionatum ex parte actus, et ut habendum a Deo, si talis conditio poneretur, non habitum jam, et de facto positum in Deo, quod est decretum absolutum ex parte Dei, hoc enim non potest ostendi ex verbis Augustini quod requiratur ad scientiam illam.

Contra primam responsionem non est quod multum immoremur. Nam vel Augustinus agendo contra istos hæreticos semper locutus est de futuris absolutis, et nunquam de conditionatis, vel aliquando etiam de conditionatis locutus est. Si hoc secundum habemus intentum, et ruit prædicta solutio, jam enim fatetur etiam de conditionatis locutum D. Augustinum et cum pro omni præscientia Dei respectu eorum, quæ ipse daturus est, id est, respectu eorum quæ peccata non sunt, sed a Deo causantur, requirat prædestinationem seu decretum Dei prædefinitivum, etiam illud requirit pro scientia conditionatorum, ut vidimus. Si primum, ergo prætermisit Augustinus respondere Semipelagianis, et sic valde fuit diminutus, ipsi enim ut toties vidimus recurrebant ad præscientiam horum futurorum ante decretum Dei, et in tali præscientia suam fundabant opinionem de admittendo decreto Dei, ergo si Augustinus solum ponebat decretum Dei pro futuris absolutis, et nihil attigit de futuris conditionatis, nullo modo ad sensum Semipelagianorum respondebat, nec ad rem loquebatur, nec ad eorum fundamentum respondebat, quod totum isti scientiæ mediæ nitebatur. Et præterea ipsi Semipelagiani

probabant suam opinionem ex ipso Augustino in libro de sex quæstionibus paganorum ubi plane tractabatur de quodam futuro conditionato, scilicet Christum non venisse prioribus sæculis, quia sciebat tunc non fuisse homines in eum credituros. Respondet autem Augustinus ad hanc objectionem, et explicat sensum suum quod illam præscientiam posuit, absque præiudicio latentis Dei consilii, et non sine decreto divino, ut patet in libro de prædestinatione sanctorum, capite ix. Et iterum eandem sententiam confirmat in capite ix, libro de bono perseverantiæ, exemplo Tyrriorum et Sidoniorum, apud quos Christus non prædicavit etiam si sciret esse convertendos, indeque confirmat non esse recurrendum ad præscientiam eorum, qui non erant credituri, ut fecerat in illo libro de sex quæstionibus paganorum, cujus responsiones ibi reprobat, ut ait D. Thomas, iii part. quæst. i, art. v ad ii, sed ad altitudinem prædestinationis divinæ, ergo loquitur Augustinus de istis futuris conditionatis, et non solum de absolutis, de illis enim erat concertatio cum Semipelagianis in illis libris, quod et amplius ex dicendis patebit.

XXIII. Contra secundam responsionem instatur, quia Augustinus ex duplici capite impugnat Semipelagianos in hoc puncto de scientia media. Primo quidem, quantum ad abusum erroneum quo illi hæretici abutebantur scientia media, dicendo Deum uti illo bono usu præviso tamquam motivo et ratione dandi, vel denegandi gratiam, cum sæpe docet maximam esse absurditatem dicere, quod homines, sive parvuli, sive adulti puniantur, vel beneficentur juxta illa quæ nunquam acturi sunt, sed agerent si diutius viverent. Secundo etiam impugnat et destruit